







Pr. g. 3. num. 6.

1776, 1.

AA

19

ORATIO  
DE CAUSIS IVRIS INCERTI;

IN  
CREATIONE ET INAUGVRATIONE  
IVRIVM LICENTIATI SEV PRO-DOCTORIS

A. D. VIII. IVNII MDCCLXXVI

IN  
TEMPLO ACADEMICO

DICTA

A  
IOANNE DIETERICO MELLMANN D.

KILONII ET HAMBVRGI  
APVD BOHNIVM ACAD. BIBLIOPOLAM.

KILONII HOLSATOR. EX OFFICINA BARTSCHIANA.





ORATIO  
DE CAUSIS IURIS INGERIT

KÖNIGLICH  
UNIVERSITÄT  
ZVHALIE

112





VIRO  
PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO  
FRIDERICO  
AB HAHN

DYNASTAE IN BASEDOW, LANGWITZ,  
NEVHAVS, GROSSEN - COLLMAR ETC.

ARCTIORI DEPVATIONI PROCERVVM NOBILITATIS  
HOLSATICAE ADSRIPTO;

EQVITI MEGAPOLITANO ET HOLSATO  
PARITER MAIORVM IMAGINIBVS AC  
MENTIS VIRTVTIBVS

ILLVSTRI



HVNCCE LIBELLVM ACADEMICVM  
NUNC PRELO EXCVSVM  
IN AMICI ET DEVOTI ANIMI DOCVMENTVM  
SACRV M ESSE  
VOLVIT

IOANNES DIETERICVS MELLMANN D/



VIRI ILLVSTRISSIMI ATQVE ILLVSTRES,  
IN HIS  
PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,  
MAGNIFICE PROCANCELLARIE,  
PATRES ACADEMIAE ET PROFESSORES OMNIUM  
ORDINVM CELEBERRIMI,  
HOSPITES ET COMMILITONES, SVO QVISQVE LOCO,  
HONORIS DIGNITATIS GRADV HONORATISSIMI,  
GENEROSISSIMI ATQVE NOBILISSIMI.

---

**T**ametsi non sit artis legitimae fatum, vt verbis eruditus quidem seu subtilibus doceatur, quae vel profusus non intelligantur, vel tenuia sint & iactantiae gratia tantum prolata in schola vsus solummodo praesent, neque vtilitatem societatis humanae respiciant; tametsi potius haec peculiaris iurisprudentiae sit virtus atque gloria, quod originem ducat ex publicis priuatisque commodis seu ex humanae societatis necessitate: quod sit enutrita a Rerumpublicarum autoribus, qui memores mortalis ciuium conditionis nullam affectabant scientiam, nisi quam vitae communis siue ciuilis ratio commendabat: quod amplificata sit ipso strepitu forensi siue causis in iudiciis oratorum disputatione agitata, & secundum legum seueritatem benigna aequitate temperatam compositis: (I) quod perfectionem sit consequuta in  
A princi-

(I) IOAN. AVG. STOLLII *historia iurisprudentiae Romanae libr. II, cap. II.*  
p. 4. S. 263. I. VAN DE WATER *observ. iur. Rom. l. II.*



principum consistoriis, quae instructa erant perfectis iustitiae sacerdotibus, qui omnem doctrinae ambitum circumferrent: quod summa honestissimae scientiae denique eo redeat, ut, ad iuuandam, tuendam salutem publicam vnice sit adornata: dolendum tamen omnino est, noua subinde incommoda sub ipsius iurisprudentiae cultura esse orta; vtilissimam & honestissimam disciplinam multis variique generis naeuis seu corruptelis laborare; (2) non semper augustam & magnificam incedere, nunc deformem aut inopem immemorem innatae dignitatis humilitate seruili occurrere, nunc ignauam & auaram capturis tantum operam dare; (3) multis iureconsultorum sectis, dissidiis ac iudiciis esse distractam, vsunque legum inde & iustitiam adeo ipsam maxima laborare *incertitudine*. (4) Profecto saepius accidit iustitiae oracula siue adyta consulentibus, quod cecinit

PERSIVS *satyra V.*

*Mille hominum species et rerum discolor vsus;  
Velle suum cuique est, nec voto vinitur vno.*

Ego tamen quo magis haec cogito, eo magis mens perstringitur nimis intelligens, primum esse videndum in omni scientia, ut sit certa, ut nullo modo vereri debeas, ne teneas falsa pro veris. Doleo sane interceptam tali ratione artis aequi & boni vtilitatem. Etenim parum, potius nihil differt ab homine indocto & inutili prorsus Reipublicae membro, qui opinionis leuitate magis fertur, quam doctrinae regitur constantia, quique tantum doctus est ad opinionem vsque. Quem incertitudinis naeuum si in sola, quae de salute Reipublicae praecipit, disciplina deprehenderem, incultam iurisprudentiae viam abhorrens, ha-

(2) CHRISTIAN. THOMASIVS  
*de naeuis iurisprudentiae.*

(3) GERH. NOODT *oratio de causis*  
*corruptae iurisprudentiae.* 1718.

(4) IOH. RVDOLPHI ERNESTI  
*diff. de iuris incertitudine.* ALTORF.



ita abiecta reuerteter, lubentius in excultis aliarum disciplinarum viridariis versans, quam vagans incertis regionibus, atque errans in iuris nostri siluis atque anfractibus salebrosis. Sed quid molior? iacta est alea. Nimis tarde damnem consilium, quo olim me THEMIDI dicaui dixique: *tu mihi sola places*. Neque si possem, optarem. Etenim est hoc profecto confitendum omnibus, qui mentis humanae vim intelligant, quique vniuersae eruditionis naturam perspiciant, nullam plane disciplinam ita omnibus absolutam esse numeris, vt nunquam mens in suspensio haereat, aut dubitationis ac erroris nebulis obscuretur. (5) Nihil dicam de studio, quod ad salutem aeternam ducit. Quis non intelligit, quam fallaces & incertae sint eruditorum coniecturae, quibus res illustrare conantur, quae in sacris litteris non plane sint definitae? (6) Idem accidit non iis tantum, qui barbam sibi alunt, vt philosophos simulent, sed iis adeo, qui veram non fucatam sectantes philosophiam in rerum diuinarum ac humanarum naturam penitus sagaci studio inquirunt, quique honesti ac turpis, aequi & iniqui fines proba industria determinare enitantur. Iam si rerum naturalium doctrinam perlustres, eam magnis difficultatibus inuolutam esse fatearis, necesse erit. Quis, quaeso, perferutatus est spirituum siue animarum naturam atque indolem, ita scilicet, vt accuratam, promptam & paratam earum teneat cognitionem? Profecto plerosque, qui grauitate & verbositate hac de re disputent, iactandi tantum causa loqui crederem, eorumque scientiam nihil aliud, nisi honesta specie obductam esse ignorantiam putem.

AESCVLAPII

quod attinet sacerdotes, sunt illi sua contenti fama; mea tantquam hominis profani eorumque sacris profus non initiati non

A 2

indi-

(5) SENECA de beneficiis L. VII. c. I.  
 BVDDAEVS in philos. instrument. p. I.  
 c. II. §. II. & seq.

(6) Magna ex parte huc mihi referendae videntur CELEBERR. LAT. VATERI visiones de vita aeterna.



## IV

indigent commendatione. Volo solummodo tamen indicare, & hanc disciplinam non ita ad certas directam esse normas, vt nusquam aberrant valetudinis autores. Venit quidem vnicuique mortalium summa dies, venit ineuitabile fatum, recteque cecinit HORATIUS:

*Linquenda tellus et domus es placens  
 uxor: neque harum, quas colis, arborum  
 se praeter inuisas cupressos  
 ulla breuem dominum sequetur.*

Sed per medicorum errores & medicamentorum incertitudinem, morborum saeuitiam maiores subinde accipere vires, vitaeque non raro acerba & praematura morte erepta magnam societatis humanae utilitatem fructam spemque futuri saeculi insignem interceptam esse, saeculorum & antiquitatis testimoniis fretus contendo. Quodsi, vt par est, impetrauero, nusquam esse tutam fidem, atque doctissimos in quocunque disciplinarum genere a recta aberrare via, modo a spiritus sancti lumine collustratos exceperis; tantum aberit, vt ars, quae legum scientiam earumque usum docet, ob incertitudinis naeuum, quo laborat, sit subtiliter nugax, otiosa & inutilis, vt potius ob exactas certitudinis normas, ad quas legislatorum & iureconsultorum studio reduci possit, maxime salutem & utilitatem ciuilem adiuet, ideoque sit expetenda, laudanda, ornanda. Negari nequit, eum minime statim illustre iureconsulti nomen mereri atque Reipublicae prodesse posse, qui legum & consuetudinis forensis tantum memoria tenet particulas temere collectas, qui semper incertus vagatur, neque vbi vestigia premat, intelligit. Potius qui disciplinae legitimaе, cuius studio sese dicauerit, leges atque normas accurate cognouerit, ad eas omnia, quae in vita forensi occurrunt, negotia exigere ac dirigere didicerit, in commu-



communionem atque consortium virorum Reipublicae gerendae  
 peritorum venerit, vt ab iis vel ex eorum scriptis, quae opus  
 habeat, petere possit, qui sententias suas hauserit e fontibus  
 ipsis, non e riuulis, ne multa, cuius eruditio sit rerum certa-  
 rum accurata scientia, & absolutio, is demum verus & perfe-  
 ctus vocatur Iureconsultus. Quamquam autem arti nostrae vt  
 caeteris omnibus accidat, vt non omnium rerum parata & ab-  
 soluta certitudine consumetur atque absoluatur, quin saepissi-  
 me verisimilitudinis ac probabilitatis limitibus circumscribatur,  
 constat tamen inter omnes harum rerum peritos, plurima iuris-  
 prudentiae capita nullo modo ineluctabilem in se continere in-  
 certitudinem, sed studio indefesso, meditatione constanti & di-  
 ligenti ad certitudinis regulas dirigi posse. Atque cum talem  
 artis legitimae doctrinam quae accurata & certa sit, verae eru-  
 ditionis titulo solummodo dignam putem, & doctori & disci-  
 pulis & Reipublicae vtilem ac proficuum, hodie cum verba mihi  
 publice sint facienda, VESTRA, AUDITORES, pace VOBISQUE  
 fauentibus placuit agere DE CAUSIS IURIS INCERTI. Non  
 arbitror alienum fore a huius conuentus solemnitate, si hac de  
 re pauca faciam verba. Namque inuestigatu digna, vt opinor,  
 est quaestio, qua re fiat, vt tam multi non iureconsulti sed ple-  
 beii tantum euadant concionatores, vt in maximo legum cu-  
 mulo plenae sint omnium voces de iuris incertitudine indies ma-  
 iora capiente incrementa, vt tam acerrimae disceptationes &  
 fluctuationes sint inter doctores; simul ac de autoritate & appli-  
 catione iuris Ciuilibus, Canonici, Germanici publici & priuati  
 statuere debeant. Est talis nimirum inquisitionis commendatio  
 ab ipsa vtilitate. Etenim si causas perscrutemur, vnde origi-  
 nem duxerit illa iustitiae pestis, ac perniciēs, facilius erit reme-  
 dia inuenire, quibus incertitudinis naeuus tolli & huic malo



## VI

medela afferri possit. Sed ego quidem vtrum hac de re grauiā  
 VESTRAE meditatione digna facturus sim verba, VESTRAE  
 eruditionis gloriam, VESTRIQUE ingenii acumen atque captum  
 cogitans frigoris metu & pudore perfusus iure meo dubito. Ta-  
 men animum labantem, constantiamque laxatam quodammodo  
 restituit VESTRAE, AVDITORES, humanitatis ac fauoris gra-  
 ta recordatio illaque cogitatio, me ex muneris mei necessitate,  
 non iactandi gratia, verba facere.

Non animus est, VESTRA, AVDITORES, tempora morari  
 recitatione querelarum de iustitia tumultuaria iurisque incerti-  
 tudine illarum regionum, vbi ciues consuetudine vagoque iu-  
 dicum arbitrio magis regantur, quam per latas leges. Quam  
 falsa eorum fuerit persuasio, qui, humana natura non satis per-  
 spectā, sine legibus, auctoritate civili latis, tranquillitatem & salu-  
 tem rerumpublicarum per SOCRATIS, PLATONIS & aliorum  
 philosophorum praecepta conseruari ac firmari crediderint, te-  
 statur epocha iuris incerti, potius nullius, quo TARQUINIO  
 scilicet superbo, eiusque filiis regio diademate spoliatis (7),  
 ROMANORVM populus sexaginta prope annis circumagebatur;  
 testatur epocha duodecim tabularum, qua, ob legum inopiam,  
 omnia arbitrio magis iudicum, quam iure certo regebantur;  
 testatur denique tristis illa iuris manuarii periodus, qua Ger-  
 mani neglecta legum auctoritate & contempto iudiciorum strepitu  
 ius in armis viribusque positum esse praedicauerint. Profecto  
 sola lex naturalis hominum animis inscripta ad pacem societatis  
 ciuilis consequendam tuendamque minime sufficit. Iam pri-  
 mum satis constat, maximam esse iudiciorum & opinionum de  
 legum

(7) Vtrum TARQUINIVS super- FRIDER. VLRICVS PESTEL in *dis-*  
 bus eiusque filii inique patria solio- *sert. de commodis incertitudinis §. 1. n. a.*  
 que pulsi fuerint nec ne, inquisiuit *pag. 1.*



legum naturalium indole diuersitatem, sententiarumque diuortia. Deinde dici vix potest, quam facile aberrant homines a iuris innati via subinde scilicet viuentes intemperantius & cupiditatibus abducti saeuientes haud raro in proprium genus. *Ab homine,* inquit SENECA, *homini quotidianum periculum, nullum malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequam surgat. Crepant aedificia, antequam corruant; praenuntiat fumus incendium. Subito est ex homine pernicies, et eo diligentius regitur, quo propius accedit. Erras si istorum, qui tibi occurrunt, vultibus credis — Homini hominem perdere liber.* Quo minus autem id fieri queat, impedit ciuitatis ciuilis formula, superioris voluntas & lex, quam hanc ob rem non immerito vocaueris regulam iustorum ac iniustorum, principem ac praesidem & bonis & malis. Quae cum ita sint, AUDITORES, immortalitatem nominis impense promeritus videtur imperans, quicumque vel dandis vel reformandis atque custodiendis legibus vtilissimam imperii ciuilis curam impendat. (8) Tanti muneris excellentia sane cedro, nummis & lapidibus futuris saeculis commendanda & consecranda est. Et arbitror, funera imperatorum Romanorum olim non magis celebrari potuisse, quam legum ab ipsis latorum titulis, quibus populus rogum inter caeteras rerum gestarum tabulas ornasse ex TACITO aliisque scriptoribus accepimus. Ita ergo optimo iure recentis aetatis acutissimus philosophus praematura & acerba morte terris ereptus, in egregio, quem de meritorum indole scripsit, libello, THOMAS ABBT veram gloriam sapientum legislatorum extulit, & legislationis studium in primo virtutum gradu collocauit. (9)

Haecce

(8) GEORG. HENR. AYREKI oratio de principis cura inter leges & mores sollicitè dispersiendā. Goettingae S. 216.

(9) THOMAS ABBT vom Verdienst



## VIII

Haecce mihi meditati in mentem veniunt conamina salutaria, quibus AVGVSTISSIMA RVSSORVM IMPERATRIX, AVGVSTISSIMI DANORVM SVCORVM ATQVE PRVSSORVM REGES, nullique horum purpuratorum secundus IOSEPHVS SACRATISSIMVS GERMANORVM IMPERATOR, tum noua plane legislatione, tum legum salubriter latarum emendatione ex tantis iuris nullius & incerti tenebris bonam reddere lucem coeperunt regnis atque saeculis futuris,

*Firmatur senium iuris priscamque reserunt*

*Canitiem leges, emendanturque vetustae,*

*Accedunt nouae. Talem sensere SOLONEM*

*Res Pandoniae, sic armipotens LACEDAEMON*

*Despexit muros rigido munita LYCVRGO. (10)*

Equidem non est in Germania, quod de incertitudine, quae ex legum inopia oritur, conqueramur. Potius copia legum in Germania nos reliquit inopes atque incertos hinc indeque errantes, non propterea quod leges sapienter latae vilescant plane & in contemptum atque odium veniant, sed quia opinionum leuitate ac interpretationis incertitudine feramur fluctuumque instar iactemur. Habemus leges imperii fundamentales atque recessus. Sunt nobis iura Germanica tum vniuersalia tum particularia. Vsu atque obseruantia insuper recepimus QVIRITIVM iura, magnaue ex parte ius pontificium siue Canonicum, commendanda omnino ob decisionum, quas continent, summam aequitatem, legumque singularium multitudinem, laudibusque adeo suis non defraudanda. Attamen in maximo harum legum cumulo in magna incertitudine iureque arbitrario versamur. Testantur id non ICTorum voces solum, sed fluctuationes etiam Doctorum, & quod maxime dolendum, tot exempla

(10) CLAVDIANVS de IV. Conf. HONOR. vers. 505 — 510.



exempla responforum sibi contrariorum, quae de vno eodemque themate sint elaborata. Quis adeo est rerum humanarum imperitus, qui non cognouerit, quam variae sint de rebus omnibus hominum opiniones? Quamquam autem ea, quae in iuris placitis eorumque applicatione cernitur incertitudo quibusdam interdum insignia afferat commoda; negari tamen nequit, praestare, nullum in republica esse ius, quam incertum, carere legibus, quam abuti. Nullum enim ius omnibus aequae est graue, incertum autem malitiae praesidium, innocentiae periculum. (II) Ius incertum iustitiae neglectum continet; iniustitiam autem sequitur reipublicae exitium. Nam si permissum est, in iudicando genio indulgere suo, neque ad amissum legum respicere, sed eam seligere sententiam, quae tempori vel causae inserviat atque cupiditati patrocinetur, sic fora & curiae gemitu planctuque personent necesse est. At enimvero, dum haec animo reputo, dum iurisprudentiam paratam, certam accuratamque esse volo, causasque pestiferae incertitudinis reuoluo & mecum perpendo; non me falli arbitror, si dicam causas huius corruptelae duplicis esse generis.

Ad PRIMVM GENVS talium iuris incerti causarum referendi videntur omnes naevi, quibus iurisprudentia nostra ipsaeque leges nostrae laborant. Solemne hoc & perpetuum fatum fuit disciplinae, quam profiteamur, ab ingeniis excellentibus optime constitutae, vt propter legum multitudinem, antiquitatem & obscuritatem animus interpretis haereat subinde, in vtramque partem nutet, ac, quid iudicare debeat, ignoret. Vt de antiquis taceam, quorum disciplinam barbaries aboleuit, monere tantum liceat, admodum variam esse iurisprudentiae Germanicae faciem. Ius peregrinum in patriae fora paulatim irrepsit temporum vitiis,

B

Acade-

(II) HENR. A COCCEII in *ORAT. de progress. iur. EVROP.* pag. I.



Academiarum multarumque aliarum rerum ope atque confluxu magnam accepit in foro aequae ac scholis auctoritatem non sine iuris innati iactura. Miram inde iurisprudentia Germanica ex utroque iure contineat commixtionem siue confusionem necesse est. Ius peregrinum quidem in subsidium tantum est receptum. Sed cum propriae & innatae Germanorum leges saepe dubiae sint atque obscurae, iuris nostri summa inde oritur incertitudo. Quid? viri etiam consultissimi subinde miram in modum fluctuant, nescientes, utrum secundum *QVIRITIVM* iura, an secundum leges domesticas sit pronunciandum; utrum de receptione iuris peregrini in casu obvio constet, nec ne; utrum denique particula iuris patrii subobscura forsitan ex patriae antiquitatibus ac institutis, an potius ex iuris Romani ratione & indole sit explicanda? Dicitur vix potest, quantum detrimentum coeperit solidae & accuratae iurisprudentiae criminalis disciplina ex mira multorum dubitatione, utrum iuri criminali *ROMANORVM* auctoritatem in Germania tribuere fas sit. Manet haec laus legislationis Romanae auctoribus propria & peculiaris, quod egregie meriti fuerint de iure criminali, neque omiserint, quicquid ad illud ornandum atque amplificandum e re videri posset. (12) Contra mira est legum Germanicarum, quae de criminibus praecipunt, inopia & obscuritas. *VIDETE, AUDITORES*, quare fiat, ut leges Germanicae criminales ad paucissimas quaestiones decidendas easque iudicandas sufficiant, & ut maxima iuris criminalis incertitudo inde oriatur necesse sit. Quid igitur disciplinam, quae de criminibus eorumque poenis agit, profitentibus magis expetendum videatur, quam ut huius itineris faciliorem decursum facientes, nobilissimam *ROMANORVM* legislationem

(12) IOAN. SAMVEL FRIDER. A BOEHMER in praefatione praemissa *CARPZOVII* observationibus.



gislacionem ducem fidelem comitemque iucundum sibi eligant, & in iuris patrii angustiis e iure Romano hauriant sententias? Possent sane optime hoc consilio fieri, ne grauissima artis nostrae pars in mero fere cuiuslibet iudicis arbitrio sit posita saepiusque aduocatorum libidini subiecta. Sed non defunt, qui, negata iuris criminalis Romani in foris GERMANORVM auctoritate, pernicipi publicae euadant auctores. NOLITE credere, eos speciosis argumentis ac rationibus rem suam defendere; potius sola auctoritate IACOBI FRIDERICI LVDOVICI, qui, ius Romanum exiguum & nullum fere vsum praestare in rebus terribilibus, affirmat (13), item CHRISTIANI GODOFREDI HOFFMANNI (14), viri grauis caeteroquin multumque in rebus publicis ac priuatis versati, & aliorum, se rapi patiuntur, nimis sequaces. Quare illustris Goettingensis Iureconsultus CHRIST. FRID. GEORG. MEISTERVS, qui praestantissimum attulit ingenium ad summam iuris ciuilibus & criminalis scientiam, de tranquillitate publica optime est meritus, dum nuperrime opinionem hanc saluti publicae perniciosam exemplis aequae ac argumentatione refutauit, iurisque Romani criminalis auctoritatem in foris nostris restituit, indeque magnum iuris incertum naeuum si non penitus sustulit, quodammodo tamen emendauit & innoxium reddidit. (15) Porro ingenue fatendum est, quod leges nostrae multis in capitibus non apte inter se cohaereant, ideoque plus obscuritatis habeant, quam luminis. Non credo, multis exemplis opus esse ad hanc sententiam demonstrandam. Accidit id nimirum in graui concursu causarum ciuiliu

B 2

uiliu

(13) in praefatione constitutioni criminali CAROLI V. notis practicis illustratae, praemissa.

bus defectibus iurisprudentiae criminalis Germanicae &c. L. I. §. XX.

(15) in Sylloge altera selectorum opusculorum ad ius civile & criminale eiusque historiae pertinentium, diss. I.

(14) in commentatione de insigniori.



## XII

uiliū & criminalium. Sunt, qui sibi persuadeant, quanquam, in quaestione civilis & criminalis concursu, haec civili prius excuti solet, iudicem tamen huic causarum ordini adstrictum non esse, sed ex eius arbitrio pendere, vtrum hunc ordinem seruare, an utramque causam miscere, siue cumulare, velit. Contra sunt alii, qui fingant singularem harum causarum ordinem cerebrinis plane distinctionibus innixum. Sed vt artificem non eum, veluti in musica, agnoscimus, qui leges artis suae calleat, sed qui ad eas manus vel vocem ita possit accommodare, vt nunquam aberret; sic iureconsultum doctum atque perfectum neminem vocare fas est, nisi eum, qui seiat inter duo illa extrema mediam tenere viam, curateque seligere modos legibus determinatos, quibus concurrere possint causae civiles & criminales; qui teneat, quid iura de cognitionum ordine vel praecipiant, vel permittant; qui denique in articulis per leges non definitis eorum, quae certa sunt, exemplo argumentationum ope ad similia procedat, memor omnino, philosophandum quidem in iure, sed paucis philosophandum esse. (16) In magna parte incertitudinis, cuius causa in leges ipsas redundat, quoque ponendum esse arbitror: quod multae res per illas non sint accurate decisae & ex causis suis deductae beneque digestae, sed vago iudicantium arbitrio incertaeque illorum interpretationi potius relictae. Nihil profecto miserius est, quam incerta & lubrica sane iudicis conscientia circumangi & debilitari. Itaque si quando verum videat iudex, casu potius felici subleuatus, quam legum religione adiutus videt. Inde fit, vt interdum culices percolantur, cum alias cameli abforbeantur impune, & minima, vt dicunt, in iure praetor non curet.

(16) CHRIST. FRID. GEORG. MEISTERI dissert. de ordine cognitionum in causarum civilis & criminalis concursu, in sylloge altera selectorum opusculorum p. 190.



curet. Neque iudicem, male forsan tali in causa iudicantem, sitem suam fecisse, dicere permissum est. Etenim non defuerunt inter iustitiae moderatores & arbitros, nec nostra defunt aetate, qui commentis, atque calumniis vniuersum legum diuinarum studium, siue iuris naturalis auctoritatem, labefactare sint conati, qui iustum & iniustum id solummodo credant, quod cupiditatibus abductis e re videatur. (17) Scio quidem, e Scholis GROTHII, immortalitatem promeriti, cuius memoriam exoseculor, magnique illius PVFENDORFII, veluti ex duobus montibus, vberima disciplinae moralis divinaeque iurisprudentiae hominum cordibus insitae flumina per orbem litterarium decurrisse. At, quanquam hi duumviri, perenni laude ornandi, aliaque generis humani decora, mentis diuinae vestigia libris impressa reliquerint: non pauci tamen deprehenduntur, quorum animi ita sint obscurati, vt iustitiam innatam funditus periisse crederes. Haec erat, ni fallor, summa diffensionum iureconsultorum causa, quae liberae REIPUBLICAE ROMANAE temporibus non paucae iam exstiterunt, & sub AVGVSTO & TIBERIO imperatoribus in diuersas familias siue sectas demum abierunt; tametsi non negauiero, pluribus aliis ex causis, quasi ex feminibus, sententiarum & opinionum foetum extitisse, cum illi, qui hasce familias ducebant, in iure ciuili fuerint dissimiles admodum animis, studiis ac moribus; cum ex diuersa profecerint disciplina & aemulatione quaedam siue odii stimulis fuerint agitati. (18) Quis VESTRVM est, qui nesciat, quantum exarserit sectarum studium in ipsa iuris publici Germanici tractandi ratione? Sunt,

B 3

qui

(17) Vid. ANONYMVS im entdeckten Licht und Recht, I. Entdeck. n. 2. quem refutare conatus est ANONYMVS in Schediasm. von der Unschuld

und Nothwendigkeit des Rechts der Natur. LIPSIÆ 1704. in 8. edit.

(18) IOAN. AVG. BACHII histor. iurisprud. Rom. lib. III. c. l. §. VI. VII. & VIII.



qui Imperatoris augustissimam maiestatem ad summum potestatis seu dominationis fastigium euehi nulli dubitent. Sunt alii, qui sacratissimum GERMANORVM IMPERATOREM ministrum STATVVM siue pedissequum tantum opinentur. Alii enim se ocellos patriae putant, si ELECTORVM vel PRINCIPVM imperium summum in fraudem caeterorum STATVVM defendant. Non pauci religionum odio correpti nihil rectum bonumque statuunt, nisi quod in detrimentum ac perniciem aliarum partium vergat. (19) Quare in doctrina, quae de iure summi imperii Germanici agit, multae ac diuersae familiae *Caesareanorum*, Churfürsterianorum, Catholicorum, Evangelicorum, eorumque, qui excolunt studium nimiae libertatis, sunt enatae. (20) Odi profanum vulgus & arceo, cuius studia ruinae imperii procurent necesse est. CAESARI, quae CAESARIS, STATIBVS imperii, quae STATVVM, aequa lance sunt tribuenda, odiis & gratia posthabitis. Similiter nimia legum durities legesque sanguine, vt ita dicam, scriptae, denique neque genio populi, neque temporibus accommodatae, quibus per aequitatis rationem succurrendum est, nisi summum ius summam euadere velis iniuriam, incertitudinem iuris magno impetu promouent. Sciant nimirum, quibus CAESARIS dictionum placet: *si violandum ius est, dominandi causa violandum*; plus efficere serias admonitiones, cohortationes & illustria exempla virorum, doctrina & vitae integritate praestantium, qui officio suo rite funguntur, quam legum rigorem & vincula ciuium animis

(19) ABR. GOTTL. WINKLER *de* *sectae studio in iure publico & R. G.* LIPS. 1747.

(20) Genevossij. DE SELCHOW *es-* *menta iur. publ. Germ. P. I. sect. I. §. 10.*

GOTTL. SAM. TREVER *de studiis Im-* *perii R. G. ruinae procurantibus.* HELMST. 1730. *Eiusdem commentatio de cautione in tractando iure publ. R. G. GOETTIN-* *GAE 1735. IDEM de studiis nimiae li-* *bertatis. ibid. 1738.*



mis iniecta. *Vita principis*, ergo etiam legislatoris & iudicis, ut PLINIUS egregie ad TRAIANVM scripsit,  *censura est eaque perpetua; ad hanc regimur, ad hanc conuertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo, quippe infidelis recti est metus.* Efficaciores procul dubio sunt laudabiles mores, legesque non tam horrendo poenarum rigore, quam virtutis praemiis bonos efficere studentes, quam censura EPHORVM apud GRAECOS, CENSORVM ROMANORVM nota, MISSORVM DOMINICORVM apud veteres FRANCOS potestas, MANDARINORVM SINENSIVM auctoritas & LEONVM CAPITA apud VENETOS. Tenendum sane est, principis curam inter leges & mores sollicite esse dispertiendam, & cauendum omnino a temporum rapacitate & ab iuris incertitudine, quae ex neglectu legum plus iusto rigidarum oriri solet. *Omnia*, inquit CICERO, optimus legum formulaeque rerumpublicarum censor, *sunt incerta, cum a iure discessum est, nec praestari quicquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alicuius voluntate, ne dicam libidine.* (21) Docent id exceptiones & in integrum restitutiones itemque fictiones, quibus PRAETORES ROMANI iuri stricto admodum & duro succurrebant, legumque duritiam aequitatis conseruandae causa leniebant. Eadem ex ratione contendo, dispensationes, priuilegia, iura singularia, absolutiones, abolitiones, principum epistalmata, & quae huius generis sunt alia, quibus legum & iustitiae religio frangi solet, fidei publicae principia impugnare atque societatis ciuilibus vinculum in periculum vocare, iuraque nostra admodum reddere dubia & incerta, nisi magna concedantur cautione prouidoque consilio. Fracta semel religione legum, interrupto & euerso semel iustitiae tramite, neglecta iuris in vtilitatem publicam lati sanctitate,



te, homines improbi spe clementiae & solutionis legum ad delinquendum inuitentur necesse erit. Sanctissima legum obseruatio vnica est ratio, qua tueri iudicia, iuris auctoritatem atque certitudinem fidemque publicam, qua reipublicae vnionem seruare possis. Actum erat de summo principum imperio, de fide ac tranquillitate publica, simulac PONTIFICES ROMANI & in his primus omnium GREGORIUS VII. pacta, in quibus vnica salutis & securitatis publicae ratio continetur & quae nexum inter principem & subditos sanctissimo homagii vinculo copulant, per absolutiones & dispensationes inaudito antea exemplo dissoluere conarentur. (22) Hac cautione reges diademate exotos deponebant tyrannidis sacrae auctores. Hoc consilio subditos iurisiurandi religione soluebant. Quoscumque pro arbitrio ad violandum homagium inducebant, culpa scilicet periurii publica bulla in se recepta. (23) Cauendum omnino quoque est, ne per nimia priuilegia nimiasque dispensationes iniuria committatur grauis in caeteros subditos, qui non nisi securitatis, incolumitatis, promptae iustitiae & aequalis tutelae causa, relicto statu aequitatis naturalis, libertati illimitatae, qua gauisi fuerunt antea, nuntium miserunt. Atque ideo sapientius apud ROMANOS constitutum fuit in tabula XI. legum duodecim tabularum, quo utilius ac salubrius REIPUBLICAE esse debebat, non in singulos homines priuilegia & iura singularia ferri posse, sed omnibus exactam tribui debere iuris aequalitatem. Nulla alia re, quam legum auctoritate, sine quibus ciuitas subsistere nequit, imperantium & parentium nexus firmus & indissolubilis redditur. At cum primi terrarum habitatores vitae solitariae pertaesi, actiones suas ad vnā eandemque normam

(22) EMANUEL GONZALEZ (23) vid. Bulla GREGORII VII. TELLEZ in *comment. ad Decret. lib. II. in bullario magno tom. I. pag. 52. tit. 24. c. 19. n. 5. tom. II. p. 580.*



nam legitimam conformare promiserint, hacque sola conditione aequalitate naturali sese abdicauerint, consequens est, ut ciues non vago imperantis arbitrio agere liceat, sed legum sanctitate, cui se subiecerunt, quo liberior tutiorque ipsis esset libertatis exinde circumscriptae vsus, atque prouido imperantis consilio omnis vis & iniuria facilius auerterentur. Noui quidem eam esse summae Maiestatis rationem, ut neminem nisi DEVM superiorem agnoscat. (24) Tamen negari nequit, subiectionis vinculum non minus sanctissimo pacto, ac DIVINI NUMINIS auctoritate esse constitutum. Non me fugit, legislatoriam imperantium potestatem non in legibus ferendis solum, sed iis etiam interpretandis atque tollendis esse constitutam, eumque qui leges condit, iis quoque soluere posse. Sed haecce legum interpretatio atque solutio, ratione pacti subiectionis habita, & ex magna iustaque fiat causa, necesse est, nisi ipsius iuris diuini dispositionem euertere & sanctissimam fidem publicam impio ausu frangere velis. Optandum sane esset reipublicae iurisque certi causa, ut tales exemptionum causae propria subinde legislatione determinarentur. Erres, si credas, principem hac ratione a iureconsulto & ministro legum non distingui. Tyrannidis argumenta sunt, non potestatis, quibus Papa supra canones, & principes supra leges extolluntur. Quae maiestas quaeso augustior est ea, qua DEVS vniuersum moderat orbem? legibus tamen, quas ipse sibi posuit, regitur. Liber est, propterea quod ei non licet ab optimis summi regiminis regulis discedere. Quid? cur volumus eos, qui DEI vices in terris sustineant, plane liberos esse & facere posse, quaecunque velint? (25) At ob-

C

seruari

(24) PETRVS DE MARCA *de concord. sacerdot. & Imper. libr. II. c. II. ELI-ES DV PIN de antiqua Eccles. discipl. VII.*

(25) vid. GERARDI NOODT *disputatio de iure summi imperii.*



feruari etiam meretur, legum naturam siue mentem vagam atque incertam reddi per vicissitudines legumque mutationes. Verum quidem est, nullum ius ita ab omni parte perfectum & absolutum ab hominibus statui posse, vt semper in omne aenum sufficiat, vt omnes, quae ex ista causa exoriri possint, controuersias plane dirimat. Sed praestaret sane, noua profus legislatione eaque clara, certa ac indubitata, saluti publicae subuenire, quam legem insufficientem & obscuram extendere & explicare additionibus & mutationibus, in quibus, si legislatoriam prudentiam requiras, vniones, vbi alia omnia reperiri soleant, quaerendae sunt. Testes estote ROMANORVM leges de testamenti factione aliisque vltimae voluntatis speciebus, de vniuersa successionis causa, de vsucapione & praescriptione denique praecipientes! quanta in singulis harum rerum partibus mutatio! quanta obscuritas! quanta inconstantia & incertitudo! Profecto in perpetua nocte coecutirent interpretes, nisi singularium legum chronologia ex fumo lucem dare contenderent. (26) Sed dolendum est, opinor, hac ratione cum ANTONIO SCHVLTINGIO confitendum esse, iuris ciuili scienciam non tam in meditatione acquiratur naturalis & ciuili sapientiae consistere, quam in cognitione plane historica eius, quod qua de re subinde sit cautum & sancitum. Sunt etiam, qui naufragium faciant, iustitiae iurisque certitudinem interumpant, dum in legum peregrinarum applicatione instituta & sanctiones iuris peregrini non probe a se inuicem distinguunt. Esto, quod GERMANORVM populus fato potius quam consilio receperit GENTIUM exterarum iura. Sed, quid inde? Nunquam instituta formulae regiminis nostri moribusque nostris plane

(26) CELEBERR. MEISTERI oratio de studii iur. Rom. chronologici diligentius excolendi necessitate Part. I. selector. opusculor. p. 564.



plane contraria ciuitate Germanica donauimus. Cuius rei consequens est, vt, dum principia repudiauimus, conclusiones exinde quoque repudiatas censeamus, donec vsus contrarius fuerit probatus. Quae cum ita sint, prima erit visio in omni iurium peregrinorum applicatione, vtrum idem, de quo leges praecipunt, addit obiectum, an eadem saltim rationes. Hac cautione neglecta multos videbis a diuersis ad diuersa inadaequatam ducere argumentationem, legumque applicationem, iuraque admodum reddere lubrica. Haec sane non obseruauit AVGVSTINVS A LEYSER, THEMIDIS GERMANICAE alioquin decus, qui in explicandis iuribus hominum priorum ad iura peregrina confugiens eorum conditionem ex statu colonorum Romanorum exponendam censuit. (27) Ineptus essem si diutius circa hoc saxum haererem multusque esse vellem in expositione incertitudinis, quae ex ignorantia linguarum, quibus leges nostrae continentur, ex antiquitatum obscuritate, vocum legumque rationis ambiguitate oriri solet. (28) Longius perendum est, inuitante materia.

Succedat igitur ALTERVM caularum iuris incerti & fluctuantis GENVS. In vniuersa iuris incerti censura vna & consentiens omnium intelligentium vox principatum desert ad iureconsultorum vitia seu errores, quibus saepissime ipsi peccant in artis legitimae praestantiam, quam tamen minime novercam sed matrem benignam agnoscere deberent. Nihil dicam de iis, in quibus sapientiae locum tenent barbaries, ignorantia legum, stupor doctrinae. Hi si quando iustum rectumque casu videant, neque

C 2

docti

(27) in med. ad ff. med. II. Specim.  
XVI. conf. GEORG. LVD. BOEHME.  
RI praef. ad Tom. I. exercit. patris ad ff.  
(28) Commendare liceat CELE-  
BERRIMI DREYERI meditationes von  
den Fehlern und Irthümern in der deut-

schen Rechtsgelehrsamkeit und Geschichte  
aus Mis. und Unverstand der alten recht-  
sichen Sprachkunde, quas reperies in den  
Lübeckischen Anzeigen im 5ten Stück vom  
27 Ianuar. u. J. 1776.



docti & IVRECONSULTORVM nominibus digni haberi debent, nisi ille porcus, de quo CICERO (29) narrat, scribendi artem calluit, dum rostro terram ruens fato litteram aliquam effinxit. Fauete linguis & gressus removete, profani! sed iudicii nostri argumentum habemus hoc vel maximum, quod iulii, qui alias omnino ingenii & doctrinae gloria floruerunt, subtilibus caudicorum inventis, quibus ius suum non solum defendere, sed aduersarium pro meliori causa postulatam etiam, si fieri possit, vincere student, se a iusta & recta via abduci & in ius incertum rapi patiantur. Quis non videt, ius incertum evadere, si per varias artes, quas recensere longa esset mora, contingat reo convento, executionis processus in ordinarii iudicii tramitem, & criminalem in civilem transmutare? (30) Non aëris motus tantam ventorum vicissitudinem, non freta tam varias habent aquarum agitationes, quantas vicissitudines & aestus opinionum humanarum habet ratio. Quod honestum decorumque erat visum, quod summa expetitur erat cupiditate, fastiditur subito & repudiatur. Dolendum sane, idem accidere pulcherrimae, quam profitemur, disciplinae. Nihil certum est, stabile & indubitatum, nisi quod expressae legis litteris & immutabilis forsan virtutis haereat radicibus. Quam pulchra & admiranda ideo erat veterum Ictorum modestia, qua opiniones suas singulares timide & dubitanter proponebant, quamquam simulac de iure certo & indubitato quaereretur, animo praesenti nec ullo modo suspensio respondere solerent. Etenim grauibus THEMIDIS sacerdotibus merito honesta videbatur pressa ac decora dubitatio, dum ex sua penu aliquid depromerent. (31) Et displi-

cuit

(29) de Diuin. I. 13.

(30) GODEFRID f. resp. FRANZ VON ESSEN diss. de eurenaticis seu stratagematibus iuris,

(31) GOTTFRID. MASCOVII ora-

tio de modestia veterum Ictorum, Harde-  
vici 1739. habita.



cuit iis veram sectantibus philosophiam insana eorum arrogantia, qui sibi solis a IOVE nasum datum esse existimabant, caeteros omnes lentae fungorum naturae comparantes. Precibus non minis impetrare studeamus, ut haec ICtorum virtus in scholis ac foro remaneat, nec se ASTRAEAE terras fugienti coelumque petenti adiungat. Esto, quod iudices & ICTi nullo erigantur fastu, nec petant vulgi plausu clarescere; tamen invitos eos blande vestigant & ultro ambiunt cupiditates, quae omnino optimum quemque in errores possunt rapere. Nescio sane, qua re alias fieri possit, ut qui ad summam iuris scientiam pervenerint, qui per exercitationes crebras, diurnas & constantes eam plurimum virtutum perfectionem sint consecuti, quam laudamus & admiramur, subinde minus recte & incorrupte iudicent, sed assentationis & partium studio correpti a iustitiae & aequitatis tramite diuertant, atque leges scriptas ad eorum, quorum gratiam anxie aucupantur, arbitrium vel libidinem detorqueant. Longa esset mora, varias assentatorum familias & varia assentationum genera recensere, quarum aliae in iure publico, aliae in priuato deprehenduntur. Sunt, qui ipsi divino numini, gratificari putent, dum priuilegia admodum graua piis causis a legum nostrarum auctoribus concessa, liberali interpretatione ita extendant, ut ius priuatis hominibus acquisitum quam maxime inde laedatur. Quantum hocce nimio religionis studio detrectent iustitiae, vel unicus comprobauit TIRAQVELLVS, cuius de priuilegiis piarum causarum exstat scriptum? (32) Sunt deinde alii, qui nulli dubitent, ciuibus omnia iura, quae quiete exercuerint, adimere principique infaustis studiis vindicare. (33) Sunt, qui in consilium prin-

C 3

cipis

(32) Multa huius in piis causis fauoris exempla collegit RECHENBERGIVS in *dissert. de eo, quod in piis causis impium est*.

(33) HORNIVS in *jurisprudenc. feudal. cap. VIII. §. 53.*



cipis & regiminis confortium vocati, non ea quae reipublicae saluti, sed quae cupiditatibus conueniunt, suadeant. (34) At non haec non dicimus assentationis causa & vituperandi cupidine moti, sed ut sapientiam veram, veterum Ictorum modestiam, iustitiae atque iuris certi amorem commendemus. Nihil monui de criticis superstitiosis, qui vitam litteris expungendis consumant, & de librorum censoribus, vitio saepe constitutis, qui non raro, quanquam ex fumo claram lucem reddere cogitent, doctrinarum rudimenta & legum sententiam ita incertam faciunt, ut omnia incerto usu fluitent & spissa caligine voluantur. Nolui scilicet turbare circulos hominum, qui rarissime ad rerum culmina, reipublicae administrationem, controuersiarumque decisionem euocantur, sed scholarum gloriae reliquuntur. At ego omnium causarum, quibus in societatem istius inconstantiae ac incertitudinis coguntur ac trahuntur iusti & aequi rectores atque arbitri, hanc conicio primam esse & praecipuam; quod multi singulas iuris nostri particulas non ex veris & propriis fontibus interpretari suisque causis peculiaribus deducere studeant, sed iuris peregrini & innati principia misere & magna iuris certi atque iustitiae iactura confundant. Hoc quidem solemne & perpetuum fuit fatum disciplinae legitimaе, ut propter ignauiam interpretum aequae ac temporum vitia legum plane diuersarum confusione paulatim conuulsa dilaberetur. Quam pauci anni sunt elapsi, cum iuris Germanici innati publici scilicet & priuati disciplina iuris peregrini nimia auctoritate ad iuris patrii interpretationem infausto omne perducta, ita obseuretur, vt, nisi exsistissent nouiori aetate summi Icti, quorum studium & opera in conseruandis iuris nostri principiis iisque a sordibus peregrinis purgandis inclarauerunt, qui que

(34) AVGVST. A LEYSER de assentationibus Ictorum.



quique ingeniorum vestigia, & doctrinae specimina impressa libris reliquerunt, funditus periisse iura maiorum viderentur. Etenim unica, CREDITE mihi, & nulla alia via est, ad accuratae & certae iustitiae atque iurisprudentiae facultatem, nisi quae per singularum disciplinarum iuridicarum peculiaria arua ducit, caeteris viciniis omnibus longe posthabitis. Hanc ingressi sunt patriae ocelli, CONRINGIVS, BEYERVS, SCHILTERVS, WERNHERI, BOEHMERI, SENKENBERGIVS, AYRERVS, DREYERVS, PVETTERVS, SELCHOVIUS & alii iurisprudentiae Germanicae HEROES, qui ad eam doctrinae pervenere perfectionem & certitudinem, quam laudamus & admiramur. (35)

Sordidus quidem & ignavus animus praetextu tegitur communis infirmitatis. Verum omnino est, hanc viam regiam esse aperam, molestam, praeruptam. Sed natura, ut auibus celeritatem, canibus odorem, equis velocitatem & lionibus faevitiam, ita hominibus mentis indulgit solertiam, qua via longa quidem & obscura felici successu absolui possit.

*Dente lupus, cornu taurus petit: unde nisi intus monstratum.* (36)

Vos ego appello, vos inquam, qui ingenia MINERVAE dicastis, Deae scilicet armis instructae & pallido vultu minanti, cuius militiae symbolum est SEPTIMII SEVERI morientis dictionem: LABOREMVS! cum accuratae doctrinae, verae sapientiae,

(35) Propterea, quod tantorum virorum vestigia pressit, laudandus & ad maiora conamina adhortandus mihi omnino videtur vir iuuenis ornatissimus CAROL ERNEST. HIERONYMVS STRVVE, qui libello eleganti stilo exarato, quem illius auunculus C. F. STRVVE, in alma academia nostra Medicinae D. & professor celeberrimus, Collega omni

amicitiae cultu colendus, mecum communicavit, Germanorum iurisdictionem in feudum concessam non ex Romanorum formulis, sed ex institutis & iuribus patriis iisque innatis illustrare studuit.

(36) HORATIVVS libr. II. Sat. I. FRANZ HYTCHESON *Sittenlehre der Vernunft*, 1. B. S. 67. u. f.



tiae, tranquillitatis & salutis publicae laudes petantur, operae pretium sane est, *CREDITE* mihi, vel maiora vel grauiora pati ac facere. Et nescio, qua ratione homines ingenui & liberales cum glebae adscriptis & proletariis possint comparari, vel ignauiae & infirmitatis praetextu, quo illi tegantur, possint uti.

\* \*                      \* \*                      \* \*  
\*                              \*                              \*

Laetor profecto, *AUDITORES*, quod mihi colophonem addituro orationi meae, quae huc pertinet, ut potiores iuris incerti ac fluctuantis causae intelligantur, & remedia quibus restitui possit iuris accurati & certi doctrina, quae nulla alia sunt, quam quibus olim ad magnitudinem euecta est legitima disciplina, contingat, *VOBIS* proponere ac commendare uirum iuuenem ornatissimum *IOANNEM FRIDERICVM SCHNOBEL*, Lubecensem, nominis maiorum suorum, & doctrinae illorum laudis heredem. Fecit quidem noster ea omnia, quae commendauimus ad accuratam, & certam iurisprudentiam comparandam. Collegit tum in nostra, tum in Goettingensium Musarum sede semina doctrinae elegantis, genuinae atque certae. Et haec etiam non germinare modo coepisse, sed iam messem etiam non parvam efferre, testatur quod in manibus est specimen inaugurale, ubi vexatum iuris patrii locum, ex genuinis & propriis Germanorum iuribus feliciter explicauerit. Dignus omnino, qui ascendat e loco eo, ubi audiuit hucusque & didicit, in cathedram superiorem, sedem non ignauiae, sed laboriosae industriae, doctrinae & sapientiae, unde differere possit & docere, tamen pro singulari, quae amicum nostrum ornat, modestia, petiit tantum ab illustri Iureconsultorum ordine in hac academia *REGIA* facultatem summos in utroque iure honores capeffendi. Annuit precibus *THEMIS CIMBRICA*, postquam



quem non molliter & indulgenter inquisitum est in petentis profectus, sed ex muneris grauitate & honoris academici necessitate, quae aliquam requirunt censurae seueritatem, mihi quae facultatis iuridicae Ephoro Deaque nostrae interpreti permittit amico meo adyta iustitiae pandere, eiusque industriam constituto praemio remunerare. Nam virtus neglecta saepissime elanguescit, laudata vero accenditur. Sed antequam liceat sinistra manu gladium & libram complecti, & dextram porrigere ad coronam laureatam, qua virtutem TVAM, AMICISSIME SCHNOBEL, ornare possim; omni, qua par est, obseruantia adeundus es,

MAGNIFICE PROCANCELLARIE,

Vir Perillustris, summe reuerende, doctissime & pariter de ecclesia ac republica litteraria optime merite, IOANNES ANDREA CRAMERE, S.S. Theologiae Doctor, eiusdemque Professor Primarie &c. Conscii omnino tenuitatis nostrae relinquimus VIRIS ingenii acumine aequae ac eruditionis gloria & splendore celebratis, VIR SUMME, merita TVA laudibus ac titulis ornare, taciturna veneratione contenti. Ita ergo Tibi proponimus & commendamus ex mandato ordinis nostri Virum praenobilissimum omnibus artis legitimae disciplinis probe initiatum IOANNEM FRIDERICVM SCHNOBEL, Lubecensem, eo scilicet consilio, ut loco ac nomine AVGVSTISSIMI REGIS nostri, pro ea, qua polles, auctoritate, permittas amico, quem vides, nostro, licentiam summos in iure honores capeffendi tribuere.

Peractis & dictis his, atque gratiarum actione TIBI, MAGNIFICE PROCANCELLARIE, ex animo persoluta, saluae CANDIDATE dignissime, iterum in limitibus templi Deae nostrae constitute.

Neque tamen permiffum est propius TE ducere & iurium LICENTIA TVM rite appellare, nisi prius iusiurandum de iustitia

D

tia



tia rite distribuenda, de iure, quantum in TE erit, certo constituendo, & de obseruantia collatoribus praestanda praestiteris. Hoc vinculo THEMIS sacerdotes suos adstringit, quod illis debet esse sanctissimum, ne vindicta diuina illis olim grauis sit. Vinciendi omnino sunt iuramenti religione promouendorum animi, ne genius doctrinae in noxam reipublicae & humani generis degeneret & salutem ciuium euertat. Itaque, carissimum caput, singula verba meditare, sceptris academicis digitos admoue, & SVMMI NVMINIS, quod promissorum testem imploras, iustam habe reuerentiam.

*Formula iurisiurandi.*

EGO IOANNES FRIDERICVS SCHNOBEL IURO:

PRIMO, *me velle REGIAE MAIESTATI eidemque Magnificentissimo Academiae Reſtori & Cancellario debitum cultum, vicesque eius gerentibus honorem deferre.*

SECUNDO, *me velle non solum decano sed & collegio iuridico in Academia hac conuenientem venerationem praestare.*

TERTIO, *me velle utilitatem tam uniuersae huius Academiae, quam imprimis & studii iuris in ea, ad quodcumque honoris fastigium euectus fuerim, augere, damna vero auertere.*

QUARTO, *me nolle gradus academici insignia in alia academia iterare aut repetere.*

*Sic me Deus adiuuet.*

Quod igitur Deus ter optimus maximus felix faustumque esse iubeat, huic imprimis Musarum sedi, & ordini iuridico laetum & honorificum atque reipublicae litterariae salutare: ex auctoritate Caesarei priuilegii, auspiciis IOSEPHI SECUNDI, AVGVSTISSIMI GERMANORVM IMPERATORIS SEMPER AVGVSTI, iussu atque indultu MAGNIFICENTISSIMI ACADEMIAE RECTORIS, AVGVSTISSIMI, POTENTIS-

SIMI,



SIMI, SERENISSIMI REGIS AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI CHRISTIANI SEPTIMI, REGIS DANIAE, NORWAGIAE, VANDALORVM ET GOTHORVM, SVPREMI DVCIS SLESVICI, DVCIS HOLSATIAE, STORMARIAE ET DITHMARSIAE, COMITIS OLDENBURGI ET DELMENHORSTI, &c.

Ego IOANNES DIETERICVS MELLMANN,

Iuris utriusque Doctor legitime promotus, in Academia Regia Kiloniensi iurium Professor publicus Ordinarius, Ordinis iuridici, cuius mandato & praescitu haec omnia peraguntur, Decanus, & ad hunc actum auctoritate Regia constitutus brabeuta,

TE IOANNEM FRIDERICUM SCHNOBEL,  
LUBECENSEM,

more maiorum Iuris utriusque LICENTIATVM seu PRODOCTOREM creo, renuncio, edico, atque auctoritate IMPERATORIA & REGIA renunciatum publice & hoc loco solemniter proclamo, TIBIQUE nomina, honorem, iura atque insignia omnia, quae legum equitibus conferri solent, tribuo, talemque ab omnibus TE haberi, agnosci & neglecto gentis nomine salutari pro potestate mihi concessa volo & iubeo; largiens scilicet haec omnia priuilegia & ornamenta in nomine DEI VNIVS ET AETERNI, PATRIS, FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

Proinde fac quaeso, iurium LICENTIATE, quo honoris titulo primus TE compello, & cum titulo iureconsulti & honoribus capeffe animum unum dignum isto gradu, quo TE lubens ornavi, ut studio iurisprudendiae paratae & certae nullis TE otii & cupiditatum illecebris auocari, neque laboris molestia retardari patiaris, memor scilicet dicterii AVGVSTINI illius: *Se posita iniustitia, quid sunt regna? magna latrocinia.* VIDE, quo integerrima in TE amicitia, quo amor erga TE meus plane singularis me provehant!



XXVIII

vehant! Nullus scilicet dubito huic conventui promittere, TE iuris certi semper strenuum fore cultorem, quem neque cupiditates blande vestigantes a iustitiae tramite seducere poterunt, quem neque vastus eriget, quem neque aurum corrumpet.

Tali alumno vitae brevitatem sapientia & virtute longam faciente THEMIS & MUSAE NOSTRAE merito superbient, pro quarum, fac ut nunc ex TE audiamus carmina, LAVDE, HONORE, & GLORIA PERPETVA.

---



Kiel, Diss., 1777-1800




3

56.









19

ORATIO  
DE CAUSIS IVRIS INCERTI;

IN  
CREATIONE ET INAUGVRATIONE  
IVRIVM LICENTIATI SEV PRO-DOCTORIS

A. D. VIII. IVNII MDCCLXXXVI

IN  
TEMPLO ACADEMICO

DICTA

A  
IOANNE DIETERICO MELLMANN D.

KILONII ET HAMBVRGI  
APVD BOHNIVM ACAD. BIBLIOPOLAM.

KILONII HOLSATOR. EX OFFICINA BARTSCHIANA.

KÖNIGLICH  
UNIVERSITÄT  
ZÜRICH

*Pr. g. 3. num. 6.*

1776, 1

11

